

Sed exposita horum illustri dignitate, jam quot primis seculis Metro- VII.  
poles Provinciæque Ecclesiasticæ in Galliis fuerint, inquirendum est. Ut autem in earum notitiam via tuta veniamus, tempora necessariò distin- QUATUOR IN  
GALLIIS ME-  
TROPOLES EC-  
CLÉSIASTICAS  
guenda sunt, cùm non semper Metropolen, sicut nec Provinciarum, idem numerus fuerit, earumque longè certiora habeamus argumenta post Constanti- FUISSÉ ANTE  
CONSTANTI-  
NUM.

numerus fuerit, earumque longè certiora habeamus argumenta post Con-

stantinum, quam antea. Augusti temporibus quatuor in eis tantùm Provin-

cias fuisse diximus, totidemque Ecclesiasticas Partes instituisse ab initio,

scilicet Narbonensem, Belgicam, Lugdunensem, & Aquitanicam, qua-

rum Arelatum, Augusta Trevirorum, Lugdunum, & Bituricæ Metropo-

les essent, non levibus ductus argumentis arbitror, sicque ab inductione

probabo.

Ab Arelato initium dicendi faciam, ut ab antiquiori Metropoli totius

Narbonensis, quæ tunc utramque novam Narbonensem, utramque Vien-

nensem, Alpesque Grajas & Maritimas ab hac postea divisas complecte-

batur. Civitatem hanc inter cæteras Galliarum celeberrimam fuisse certò

colligitur ex descriptione Galliæ apud Notitiam Græcam <sup>a</sup> temporibus Con-

stantii Imperatoris editam, qua hæc leguntur: Pariter & aliam à Treveri ci-

vitatem habet Gallia in omnibus ei adminiculantem, quæ ad mare sita est (seu non

longè à mari) quam vocant Arelatum, quæ cum ab omni orbe commercia suscipiat,

& prædictæ maximæ civitati Treveri ea submittit. Sed longè fusiis perfectiusque

dignoscitur in Novella Imperatorum Honorii & Theodosii <sup>b</sup> ad Agricolam

Praefectum Prætorio Galliarum, quam integrum referemus, ne mirum sit,

quod primis seculis eam Metropolim Ecclesiasticam universæ Galliæ consti-

tuamus, & quæ sic habet: Saluberrima Magnificentia tua suggestione, inter ali-

quas Reipub. utilitates evidenter instructi, observanda Provincialibus nostris, id est

per septem Provincias, mansura in ævum auctoritate decernimus, quod sperari planè

ab ipsis Provincialibus debuiisset. Nam cum propter privatas & publicas necessitates,

de singulis civitatibus, non solum de Provinciis singulis, ad examen Magnificentie

tua, vel Honoratos confluere, vel mitti Legatos, aut Posseñorum utilitas, aut publi-

carum ratio exigat functionum: maximè opportunum & conducibile judicamus, ut

servata postbac annis singulis consuetudine, constituto tempore in Metropolitana,

id est in Arelatensi urbe, incipient septem Provinciae habere Concilium. In quo plane

tam singulis, quam omnibus in commune consulimus: primùm ut optimorum conventu

sub illustri præsentia Præfecturæ, si id tamen ratio publicæ dispositionis obtulerit,

saluberrima de singulis rebus possint esse consilia: tum quicquid tractatum fuerit,

& discussis ratiociniis constitutum, nec latere potiores Provincias poterit, & parem

necesse est inter absentes æquitatis formam justitiaeque servari. Ac planè præter

necessitates publicas, etiam humanæ ipsi conversationi non parum credimus commo-

ditatis accedere, quod in Constantina urbe jubemus annis singulis esse Concilium.

Tanta enim loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia

commeantum, ut quicquid usquam nascitur, illic commodius distrahabatur. Neque

enim ulla Provincia ita peculiari fructus sui felicitate lætatur, ut non hæc propria

Arelatensi soli credatur esse fœcunditas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid odo-

ratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania,

quod fortis Gallia potest habere præclarum, ita illic affatim exuberat, quasi

ibi nascantur omnia, quæ ubique constat esse magnifica. Jam verò decursus Rodani,

& Tirreni recursus necesse est ut vicinum faciant ac pene conterminum; vel quod iste

preterfluit, vel ille quod circuit. Cum ergo huic serviat civitati quicquid habet terra

præcipuum, ad hanc velo, remo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur quicquid

singulis nascitur: quomodo non multum sibi Galliæ nostræ præstitum credant, cum in

ea civitate præcipiamus esse conventum, in qua divino quodam munere commoditatum

& commerciorum opportunitas tanta præstatur? Si quidem hoc rationabili plane pro-

batoque consilio, jam & vir illustris Præfectus Petronius observari debere præceperit,

quod interpolatum, vel incuria temporum, vel desidia Tyrannorum, reparari solita-

ARELATUM  
METROPOLIS,  
ET SEDES PRI-  
MATIC GAL-  
LIARUM.  
<sup>a</sup> Notitia Græ-  
ca Imperii.

VIII.

Novell. Ho-

nor. & Theod.

ad Agricolam.